



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris,  
Thesibus, Dictatis Theologicis**

**[S.I.], [ca. 1692]**

1691. Collegium Massiliense sub P. Beon.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39173**

peccati Philosophici quod sit contra rationem, &  
Theologici quod sit contra legem Dei.

Resp. Si quis in aliquo casu metaphysico, qui numquam contingit, absque omni etiam virtuali Dei praeipientis aut prohibentis notitia furtum, adulterium, &c. committeret, peccaret quidem, inquit Lessius, Henriquez, De Lugo, peccato gravi Philosophico sed non mortali & Theologico. Illud autem peccatum Philosophicum neque esset mortale, neque privaret hominem gratiam, neque esset dignum poenam aeternam. Non esset mortale, quia posset stare cum amore Dei super omnia.

*Fatetur etiam infra inde bene sequi:* Eum qui furta, homicidia &c. committeret, Deum non actu cogitans, non peccaturum mortaliter... & hanc seque-  
lam posito illo casu metaphysico moraliter impossibili, nihil habere absurdum.

Sed quam parum tutum sit istud munimentum, in quo se recipit Philosophia vel inde manifestum est, quod ipsa experientia Jesuitarum constet infideles innumerous de Deo nihil unquam audivisse nec cogitasse quicquam. Quod enim P. Dubois oggerit, Infideles duo nota habere 1. Confusè & in genere aliquod numen seu supremum terræ ac cœli Dominum. 2. Illud Numen esse peccatorum ultorem, aut impium est, aut falsum ac ridiculum. Illud enim aliquod numen quid aliud est quam ipse cacodæmon aut sceleratus homines omnium criminum rei ac incentores, in quos Sacrosanctum Dei nomen impiè transfertur ab infidelibus. Deinde quicquid sit de ignorantia Dei, quot, bone Deus! etiam fideles de Deo non cogitant dum criminibus indulgent, quot quantique nec ad malitiam formalis offense Dei actu advertunt, nec Deum presentem cogitant cum violenta tentationi ultiro succumbunt.

## COLLEGIUM MASSILIENSE.

1691.

Sub his anni exordium, cum jam ante quinque  
mensis

menses promulgatum fuisse Romanum Alexandri VIII I I L  
 Decretum quo infandum Philosophismi dogma extin- PARS.  
 ctum credebatur, hoc monstrum in suo principio re-  
 divivum luci restituit illius apud Massilienses pa-  
 rens P. Beon. Imò verò cum peccato Philosophico aliud  
 quid hoc dogmate magis perniciosum induxit. Si enim  
 verum est, imputabilitatem malitia materialis alicu-  
 cus actus IN EO FUNDARI QUOD FIAT EX COGNI-  
 TIONE ILLIUS MALITIAE, jam duo ex isto principio  
 exurgunt dogmata: alterum imputabilitatem mali-  
 tiae Theologicae fundari pariter in eo quod actus fiat ex  
 illius malitia cognitione: ac proinde cum illa ignorar-  
 tur vel non actu attenditur, non peccari Theologicè,  
 sed tantummodò Philosophicè: si quidem malitia Phi-  
 losophica cognitione & advertentia non defuerit. Alte-  
 rum verò quod illo principio continetur hoc est, nullo  
 modo imputabilia esse quavis scelera, quantumvis  
 immania ac portentosa, si sine cognitione malitia me-  
 ralis seu Philosophica committantur, ac proinde ne mi-  
 nimâ quidem pœnâ mulctari illa debere, neque aeternâ,  
 neque temporali. Cum igitur intellexerit designatus  
 Massiliensium Episcopus pessimam hanc doctrinam à  
 Patre Beon, non modù post publicatam ejus damna-  
 tionem rursus in schola sua traditam fuisse, sed etiam  
 in illa sua retractatione non fuisse retractatam; se à Le-  
 suitis egregiè delusum intelliget Episcopus.

P. BEON igitur in Tract. 17. De Virtutibus &  
 Vitiis in universum Disp. 2. ubi de actu vitiioso hac  
 in eadem Schola Massiliensi dictabat sub initium hujus  
 anni 1691.

Actus vitiiosus idem est cum malo sive peccato.  
 Jam actus pravi duplex est malitia, materialis & for-  
 malis. Malitia materialis est dissonantia actus cum  
 natura rationali: Formalis verò malitia est talis dis-  
 sonantiae impunitas. Fundatur autem hæc im-  
 putabilitas 1. in turpitudine materiali. 2. In eo,  
 quod actus liberè fiat. 3. In eo quod fiat ex cogni-  
 tione malitiae.

EJUS-